et discretione sibi bestias elegissent et tumultus cessaset, descendi, et asinum spretum sine examinatione elegi eumque ad singularem (3 a) locum duxi et aptavi. Asinarii autem accurrentes ridebant et clamabant et a me pecunias postulabant. Porro ego non intellexi, quid mihi dicerent, sed de postulatione denariorum male contentus stabam, quia a nullo alio postulaverant aes. Interpres autem noster dixit mihi, quod optimum asinum inter omnes elegissem et ideo postularent curtusias. Hoc ut audivi, protuli IV madinos et dedi eis, et fui per totum iter provisus cum securissima bestia et infatigabili et sine omni vitio; numquam mecum cecidit, numquam tardavit, numquam trepidavit, nec percussit, nec momordit, sed sine stimulatione infatigabiliter processit et antecessit. Dixit mihi asinarius, dum interrogarem eum, quo pretio eum vellet vendere, quod non infra X ducatos acciperet pro bestia illa. Semper habui fortunam in utraque peregrinatione in eligendo bestias, ut patet etiam supra parte I. fol. 80. Quantos labores et fatigas ac pericula sustineant illi peregrini, qui insecuras, pigras et malas bestias eligunt, vix potest conscribi. Igitur cum cameli essent onerati et asini electi strati, transivimus ad ecclesiam Syon et a venerabili patre Gardiano montis Syon benedictionem itinerantium accepimus, qui complectens singulos benedixit et osculo dato a se dimisit. Ego tamen cum majori gratiarum actione a sua paternitate et a toto conventu recessi, quia majora beneficia acceperam ab eis, et valde benefecerant mihi, sicut patet Parte 1. fol. 93 A. et fol. 221 A.

Egressi ergo de ecclesia Syon ad asinos descendimus, quibus ascensis camelos procedentes secuti sumus extra civitatem; non autem sine cordis tristitia, nec sine lacrimis exivimus de desiderabili civitate Jerusalem, sed cum singultibus et fletibus. Ego pro parte mea numquam in hoc mundo in aliquo loco libentius fui, quam in Jerusalem, et jocundissimas dies et horas ibi habui. Ut autem de monte Syon descendimus, occurrerunt nobis juvenes Sarracenorum, filii et pueri, et tribulaverunt nos, et conabantur onera camelorum dejicere et rapere, quos ductores nostri vix valebant repellere a nobis. Interea, antequam de monte Sion descendissemus plene, rupit

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;